

www.libtool.com.cn

MASTER NEGATIVE
NO. 93-81443-6

www.libtool.com.cn

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

GOETHII

TITLE:

ELEGIAE ROMANAE

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1872

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET


Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Römische elegien Lat. T.
GR35 Goethe.
G55 Elegiae Romanae, Latine
reddidit Aemil. Taubert. 16p. sq. Q. Ber.
1872.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 8-15-93 INITIALS: rgy
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




www.lib201.com.cn



AIIM



Association for Information and Image Management
 1100 Wayne Avenue, Suite 1100
 Silver Spring, Maryland 20910
 301/587-8202




Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
 BY APPLIED IMAGE, INC.



www.libtool.com.cn

Class **GR 35** Book **G 55**

Columbia College Library
Madison Av. and 49th St. New York.

Given by **C. S. Smith**.....

Beside the main topic, this book also treats of

Subject No.	On page	Subject No.	On page

735
GR 31
G 55

Gen. Smith
der Professor

Berlin, den 27. April 1876.

GOETHII
ELEGIAE ROMANAE.

LATINE REDDIDIT

AEMILIUS TAUBERT, tr.

DR. PHIL.



BEROLINI
TYPIS ET SUMPTIBUS HEREDUM HAYNIANORUM.
(C. HAYN.)
MDCCLXXII.

„Crimen erit, mihi quod placere Propertius olim
Atque poeta Jocos Bibilitanos amans,
Nec veteres, schola quot urget, me pone reliqui,
Me quod et in Latium est fida secuta cohors? —
Haec peccata, in quae me, sedula Musa, trahebas,
Objicit en vulgus meoque tibi assimulat.
Quin etiam plano me vult simplexque bonusque
Mutari: at tu me sola, Camena, regis!“

Quanta nobis tunc voluptas,
Versibus nunc his docemur!

I.

1. **T**ollite vos lapides, vos alta palatia vocem!
Edite verba, viae! Tu mihi surge, Geni!
Vivunt atque vigent intra tua moenia cuncta,
Roma aeterna: uni cur mihi cuncta tacent?
3. Quis mihi significat, quibus olim grata fenestris
Virgo astet, cujus me igne perire juvat?
Non mens praesentit, per quas visurus amicam
Licturusque teram tempora cara vias?
9. Tempa, palatia adhuc specto, delubra, columnas,
Ut prudenter init sobrius hospes iter.
Mox tamen haec mittam; tunc una manebit Amoris
Aedes, quae mysten unica contineat.
13. Instar Roma quidem est orbis; sed Amore relicto
Orbis terrae orbis Romaque Roma foret?

II.

1. Tuta ego nunc tandem teneo! reverentia pulchras
Matronas juvenes egregiosque juvet!
Vos patruosque nurusque amitas fovete vetustas!
Post leve colloquium ludus inanis erit.
5. Caetera turba, vale! valeat nunc circulus omnis,
Ad desperandum quo fere adactus eram.
Vaniloquis vobis iteretur opinio quaevis,
Quam nostro frustra vector in orbe fugit.
9. Sic de Malbrugio Parisina ex urbe Britannum
Sectatum est Romam Parthenopenque melos.
Is Smyrnam profugus quamvis tunc vela dedisset,
Hic quoque clamassent litora „Malbrugium!“

13. Unde ac quo veherer, populos ita comperiebam
Usque objurgari consiliumque ducum.
Ne mihi nunc, quaeso, subito reseretis asylum,
Quod praebet, regis more, patronus Amor!
17. Me tegit incolumem hic alis; neque amica furentes
Gallos, Romana praedita mente, timet.
Non petit illa novos rumores; spectat acute
Vota, cui sese dedidit illa, viri;
21. Ingenuo fortique viro gaudet peregrino,
Quum niveos montes, lignea tecta refert:
Uritur haec igni, quo pectora adussit amici,
Dissimilem Ausoniis quem juvat aera dare.
25. Sunt epulae largae; vario est induta paratu;
Pilento celeri vecta theatra petit.
Conviva mater gaudent ac nata boreo,
Et thalamo fruitur barbarus Ausonio.

III.

1. Lux mea, ne dubita te sponte ita dedere amico!
Te neque lascivam credo neque esse levem.
Tela jacit varie Veneris puer: haec male tangunt,
Ut sensim pectus tarda venena terant;
5. Illa tamen valide pennata aciequo recenti
Haerent visceribus sanguinem et exacuunt.
Heroum saeculis ardebant Dique Deaque:
Vultus amorem tunc, gaudia duxit amor.
9. Anne putas matrem dubitasse pudenter amorum,
Idaeo Anchises quum foret in nemore?
Luna repugnavit dormitori oscula pulchro
Sumpsisse, Aurora hunc invida ut erigeret?
13. Laeto Leandrum festo conspexerat Hero:
Nocturnas in aquas praecipitavit amans.
Regia quum virgo Tiberis descenderet undas
Hauritura, fuit Rhea prehensa Deo.
17. Sic sibi Mars genuit natos. Geminos lupa nutrit,
Et regina orbis Roma vocata fuit.

IV.

1. Est pius omnis amans; colimus bene daemones omnes,
Propitium volumus quemlibet esse deum.
Romanisque sumus similes victoribus: orbis
Numinibus cunctis hi tribuere domos,
5. Sive haec e saxis Aegyptius atra vetustis,
Marmore seu Grajus sculpsit e Pario.
Non tamen Aeternis dolor est, si thura seorsum
Uni divarum nos pretiosa damus.
9. Quippe preces uni nostras ac nostra fatemur
Nos offerre uni sacra diurna deae.
Lascivi atque graves celebramus mystica festa,
Omnes ac mystas sat reticere decet.
13. Nos Furias prius attrahimus per facta nefanda
Ad nostras calces, iudiciumque Jovis
Audemus properante rota saxoque subire,
Quam mite ex animis servitium exciderit.
17. Nomen habet diva haec: „Occasio.“ Noscite magnam!
Saepe venit formas usque novata suas.
Forsitan haec Protei suboles Thetidosque vocanda est,
Quae vario heroes lusit adusque dolo.
21. Nunc tamen ignaros pavidosque ita filia ludit:
Ridet sopitos haec vigilesque fugit.
Assiduo celerique viro se dedidit uni;
Mitemque et teneram hanc is lepidamque vocat.
25. Fusca puella etiam mihi diva apparuit olim,
Multis atque nigris tempora cincta comis;
Non longi cirri per dulcia colla fluebant,
Crispus et incomptus vertice crinis erat.
29. Illamque agnovi profugam complexus, et apte
Haec mihi mox docilis basia rettulerat.
O me felicem! — Taceam! Sunt tempora lapsa,
Romana teneor nunc ego caesarie.

V.

1. Me nunc sancta beat coelo et doctissima tellus;
Aetas nostra mihi est priscaque laetitiae.
Consiliumque sequor, veterum exemplaria volvo,
Inque dies auget gaudia dextra levis.
3. At me per noctes aliter puer occupat ales;
Quippe minus doctus bisque beatus ero.
Nec me ipsum doceam, teneras quum mulceo mammas,
Mulceo quum leni mollia crura manu?
9. Marmora tunc demum capio formasque coaequo;
Tunc tentare oculos, cernere crede manus!
Quodsi sic partem mihi surripit illa diei,
Mecum pro damnis otia noctis agit.
13. Oscula quum sileant, apto sermone fruemur;
Somno illa victa cogito multa cubans.
Jam finxi versus ulnis devinctus amicae,
Alternis digitis lene modum hexametri
17. In tergo numerans. Sopita haec dulciter halat,
Pectora et afflatus calfacit ima mihi.
Interim Amor nutrit memor aevi lampada, quo par
Regibus officium praestitit iste suis.

VI.

1. „Improbe, mene potes saevis affligere dictis?
Vos apud acri animo sic loquitur vir amans?
Plebs si me accusat, patiendum est! nec rea forte
Sum? Tamen, ah, tecum nunc modo culpa mihi est.
3. Has vestes vicina facit male livida testes:
Amplius haud conjux ingemit orba viro!
Non temere luna venisti saepe serena
Nigro in palliolo? non coma torta fuit?
9. Nonne jocans larvam sumpsisti pontificalem?
Sique juvat Praesul, tu mihi Praesul eris.
Crederet difficile est Romam intra relligiosam:
At juro: nullo a Flamine vincta fui.
13. Proh di! pauper eram virgo ac bene nota scelestis;
In me oculos fixit Falconierus amans,
Albani gravibus leno mihi saepe tabellis
Institit, ad certa ut me loca pelliceret.

17. Non tamen adveni. Valde genualia semper
Sic rubra, sic odi semper ianthina ego.
„Namque fere decepta fuit confisa puella.“
Haec pater: at contra credula mater erat.
21. Sic etiam fuero decepta ego! Tu simulas te
Irasci, tibi quod jam fuga proposita est.
Scilicet indignine uxoribus estis? abisne?
Nos ferimus prolem nos ferimusque fidem.
25. At simul, ah, cum vi cupidoque ardore virorum
Complexu inconstans exsatiatur amor! —
Sublatum gremio puerum illa et ad ora relatum
Mulcet et illacrimans lumina veste tegit.
29. O quam me puduit! decus hoc maculare loquelae
Infestorum hominum sic potuere mihi?
Ignis obumbratur paullum paullumque vaporat,
Quum subito flammam comprimit unda ruens;
33. Sed cito purgatur, volat et vapor ater in auras,
Flammaeque assurgunt lucidiusque micant.

VII.

1. O me felicem Romae, dum tempora verso,
Me quibus amplexa est furva borea dies,
Atque gravem imposuit capiti polus undique molem
Fessoque incubuit terra colore carens,
3. Et de me tacite meditabar, mentis iniquae
Tunc Labyrinthis flexibus invigilans.
Aetheris illustrat radius nunc lucidioris
Frontem; Phoebe, tibi forma colorque nitent.
9. Sideribus fulget, resonat nox cantibus almis,
Vincit et arctoam fulgure luna diem.
Quae mihi mortali sunt gaudia! Somnia fingo?
Aedes an retinent me Jovis ambrosiae?
13. Hic jaceo genibusque tuis haec brachia tendo;
Jupiter, accipias supplicis aure preces!
Qua tamen intrarim, non possum dicere: in aulam
Hebe me pressum compulit aetheream.
17. Illa tibi heroem de terra adducere jussa est?
Error adest? Error sit mihi quaeso lucro!
Me Fortuna juvet, tua nata! haec summa puella,
Ut jubet arbitrium, praemia distribuit.

21. Hospitus esne Deus? Ne rursus tu hospitem Olympi
Ad terras altis aedibus ejicias!
„Quo tendis, vates?“ — Ignoscas! alter Olympus
Mons Capitolinus, Jupiter alte, tibi est.
23. Hic me stare sinas! Cesti prope marmora ad Orcum
Me lentis Hermes passibus inde ferat.

VIII.

1. Te narras placuisse minus, mea vita, puellam
Vicinis, matrem nec studuisse tibi,
Donec adulta decus placidum sis nacta juventae; —
Te propriam pupam sponte fuisse puto.
3. Sic vitis desunt flori speciesque colorque,
Sed matura homines bacca Deosque juvat.

IX.

1. Lucet flamma foco laete auctumnalis agresti
Arida perque volat ligna crepansque micat.
Vespere me magis hoc recreat; nam paene priusquam
Conteritur fascis vix cineremque subit,
3. Bella puella venit. Sarmentaque lignaque flammant
Ac splendens festum nox calefacta parat.
Sedula mane torum genialem linquit amica,
Suscitat et flammam e cinere illa novas.
5. Namque Amor ante alias blandae donavit amicae
Ignes vix cineri reddere suppositos.

X.

1. Caesar Alexanderque Henricusque et Fredericus
Dimidium decoris nunc mihi sponte darent,
Unam per noctem si cuique torum hunc dare possem;
Ast miseros Orci vincula saeva tenent.
3. Gaude igitur vivus socio mollique cubili: —
Mox Lethe properos irrigat atra pedes.

XI.

1. Haec folia, o Charites, vobis deponit in ara
Immuni vates adjicit atque rosas:
Nec piget hunc. Opifex operosa gaudet in aula,
Quam sibi perpetuum Pantheon esse cupit.
3. Jupiter inclinat, Juno caput erigit altum;
Concussis Phoebus crinibus ingreditur;
Sicca Minerva solum despectat et impiger Hermes
Avertit vultus, nec lepor almus abest.
5. Somnifero at cupidos oculos Baccho Cytherea
Pascit, marmoreus quos decet ipse liquor.
Et memor amplexus laeta illa rogare videtur:
Nos nitidus cur non filius assequitur?

XII.

1. Audin, cara, viam per Flaminiam sonum ovantem?
Messores cantant hinc redeuntque domum
Longe. His Romani messes sunt falce resectae,
Ipsam quem Cereri nectere sarta piget.
3. Magnae nulla deae celebrantur festa deinceps,
Quae pro glande cibos, aurea farra dedit.
Nos placide et tacite festum celebremus: amantes
Sunt ubicunque sibi magna corona duo.
5. Audistine umquam, quae sint ea mystica festa,
Victor Eleusine huc quae sibi transtulerit?
Haec tunc sanxerunt Graji Grajique vocabant
Ipsam intra Romam: „Noctis adeste sacris!“
13. Quam tiro tremuit — longe cessere profani —
Candida quem texit palla pudicitiae!
Perque orbes mire rararum inductus oberrat
Inde figurarum nec vigilare putat.
17. Hic serpens per humum sinuatur, clausa puellis
Hic fertur spicis arca bene impositis.
Se jactant graviter multo cum murmure mystae,
Tiroque arcani luce eget impatiens.
21. Illi detegitur modo post tentamina multa,
Coetus quod miris occulit ille notis.
Quid tamen arcani est, nisi quod magnae patet olim
Heroem Cereri complacuisse nimis,

25. Jasio, regi Cretum, loca condita suave
Corporis ambrosii quum cupida illa daret.
Creta fuit felix! thalamus turgebat aristis
Divae, ubicunque seges larga premebat agros.
29. At reliquae arebant terrae fame, namque reliquit
Vincta ardore Ceres dulcius officium.
Audiit admirans, fatur quae fabula, mystes
Annuit ac carae. — Nutus, amica, patet?
33. Illa locum sanctum bene frondea myrtus obumbrat!
Nostra quies terris nulla pericla parat.

XIII.

1. Callidus est Amor. O miserum, qui fidit Amori!
Me visit fictus: „Nunc modo fide mihi!
Sincere studeo tibi, te bene laetor et artem
Et vitam laudi paene dicasse meae.
5. Ipsam te Romam nunc ecce, poeta, secutus
Externa in terra te recreare velim.
Nam sese queritur recipi male ubique viator:
Quem commendat Amor, praedicat hospitium.
9. Tu veterum domuum miraris membra relictas,
Haec tu docto animo per loca sancta meas.
Reliquias mage sculpendi veneraberis artis
Artificesque, quibus dux ego et hospes eram.
13. Ipse ego formavi signa haec! Ignosce! Fateris
Dicere me verum, me neque magna loqui.
Quum minus inservis mihi nunc, ubi pulchra tuorum
Forma inventorum est et color atque nitor?
17. Fingere, amice, cupis rursus? Schola Graja patescit
Hactenus, haud annis janua clausa fuit.
Semper ego doctor juvenes juvenilis amabo.
Mores sperne senum! Me bene percipias!
21. Prisca fuere nova, en, vivis felicibus illis;
Felix vive: tibi tempora prisca vigent.
Materiam cantus capis unde? Mihi illa paranda est,
Ingeniumque artis te docet unus Amor!“ —
25. Haec effatus erat me non pugnante sophistes;
Parere assuevi nempe jubente duce.
Perfidus iste fidem nunc praestat, carmina dictat,
Tempora vimque rapit corporis atque animi.

29. Ecce manus manibus componimus, oribus ora,
Ac teneros sensus syllaba quaeque sonat.
Sibila fit sermo, vox haerens blanda loquela,
Carmen eget numeris tale prosodiis.
33. Quam tu Pierides ante haec, Aurora, fovebas!
Ille, Aurora, vafer te quoque vicit Amor?
Huic video te nunc haerere, ac me hujus ad aras
Sole novo et festo membra levare jubes.
37. Illa tegit sparsa mihi pectora crine; lacertos
Molle caput collo comprimit implicitos.
Horae, experrecto mihi conservate, quietae,
Signa voluptatis, quam sopor insequitur! —
41. Victa latus mutat somno atque aversa cubile
Labitur in medium, sed mihi juncta manu est.
Nos amor usque pius desideriumque fidele
Copulat, atque vices una cupido petit.
43. Lene manum presso; coelestes rursus ocelli
Tolluntur. — Tamen, ah, pupula clausa siet,
Hac ne perturber velut ebrius, aspiciendi
Ne fugiant raptim gaudia blanda nimis!
49. Quam video formam! posita haec quam membra decore!
Sic Ariadna cubans Thesea non tenuit?
Unum his suaviolum labiis fige et fuge, Theseu!
En, vigilat! Te nunc non fugienda tenet.

XIV.

1. Lychnum accende, puer! — „Sed adhuc lux. Perdis inane
Sic oleum. Ne sit juncta fenestra rogo.
Tecta tegunt solem, non colles; horaque demum
Noctis tinnitum dimidiata dabit.“
5. Obsequere, ah, miser! Exspecto cupioque puellam: —
Spem pasce interea, cara lucerna, meam!

XV.

1. Longos noluerim cum Caesare adire Britannos;
Me magis invitat, Flore, popina tua!
Nam Boreae gravius nebulae mihi sunt odiosae
Quam genus australis pulicis assiduam.

5. Atque salutatae jamnunc magis este, tabernae,
Sive aliud vobis nomen honestius est;
Namque hodie mihi cum patruo monstrastis amicam,
Me visura dolo quem capere illa solet.
9. Nostra hic mensa fuit Germana cincta corona,
Hic juxta matrem legit amica locum;
Saepius admoto scamno illa effecit, ut apte
Os mihi dimidium plenaque colla daret.
13. Clarius hic loquitur solet ac Romana; ministrat;
Dum me oculis spectat, non gravat illa scyphum.
Mensa madet vino, madidosque illa efficit orbes
In tabula lepidis roboris articulis.
17. Inde suum nomen commiscet nomine amici;
Specto avidus digitos, annuit illa mihi.
Tandem quinque notas horarum ducit et ante
Addit lineolam. Quae mihi cognitae ubi,
21. Deletura notas et signa illa implicat orbes: —
At nota fixa oculo est illa venusta meo!
Sedi illic tacitus, cupidusque vaferque momordi
Flammea labra, quibus mox nota dentis erat.
25. Nox quam tarda subit! quatuor cesso insuper horas!?
Romam, Phoebe, morans aspicias, alte, tuam.
Nil majus visis, poteris nil visere majus,
Ut Flacci cecinit vox furibunda tui.
29. Ne cunctare hodie! Maturius atque lubenter
Collibus a septem lumina dejicias!
Vati, Phoebe, favens horas tu contrahe gratas,
Lumina pictorum quae studiosa juvant;
33. Altas jam domuum frontes cito suspice flammans,
Extremo ac radio tecta tholique micent!
In mare descendas, cras ut maturius adsis,
Gaudia quae sacclis sancta dedere, locis,
37. Litoribusque diu madidis et arundine densis,
Virgultisque nigris arboribusque jugis.
Hic casa rara fuit; praedonibus inde beatis
Illa redundarunt crebra repente loca.
41. Omnia in hanc sedem tum congressere latrones,
Dignaque vix visu caetera terra fuit.
Hic nasci mundum, mundum cecidisse videbas;
Majorem mundum paene ruina dedit.

45. Hunc mihi tu ut multos collustres ignibus annos,
Deducat tarde stamina Parca mihi!
At properare velim signatam dulciter horam! —
Ecquid adest? Horae tres sonuere modo.
49. Ecce fefellistis mihi, Pierides, spatiosa
Tempora, rapta quibus nunc mihi amica fuit.
Sed propero neque vos timeo violare! valete!
Nam vestri princeps est Amor usque chori.

XVI.

1. „In vineta hodie cur non, mea vita, measti?
Sola hic te mansi pollicitique memor.“ —
En, ingressus eram: patruum tunc — hei mihi — vidi
Vitibus in mediis usque agitasse latus.
3. Excessi tacitus. — „Quis te deceperat error?
Qui te terruerat, nonne Priapus erat?
Formido canna est pannisque assuta vetustis:
Gnaviter ipsa sui, quam nocitura mihi!
9. Quod voluit, vetulo nunc obtigit! iste malignus
Vineto ac nepti fur fugit insidians!“

XVII.

1. Multos horresco sonitus, furialiter odi
Latratus raucos horrisonosque canum.
Ast avida capto latratus unius aure,
Quem sibi vicinus pascit, adusque canis.
3. Namque meam canis hic quondam latravit amicam;
Furtivus noster vix latitavit amor.
Nunc, latrante illo, speroque venire puellam
Sumque horae, qua me visit amica, memor.

XVIII.

1. Unius ante omnes casus me poenitet, alter
Prorsus abhorrendus me angit et excruciat;
Jam meminisse piget; verumque fatebor, amici:
Invisi vidui sunt mihi nocte tori.

5. At magis horresco colubros sub flore latentes,
Seu Cytherea tegit tetra venena rosa,
Sive voluptatis media inter gaudia summae
Demisso capiti garrula cura venit.
9. Me Faustina beat; mecum procumbere lecto
Servare et fido gaudet aperta fidem.
Dulcia non tardi juvenes obstacula poscunt:
Tuta sorte frui molliter usque ego amo.
13. Quis me laetior est? mage tuta quis oscula figit?
Vitales auras mutuus auget amor.
Nox ita longa juvat; ventos audimus et imbres
Et pluvias, dum me continet illa sinu.
17. Sol illucescit; veniunt floresque recentes
Dant Horae, festo nos hilarantque die.
Fortunae invadeat nemo; det cuique, Quirites,
Parca bonum, majus quo nihil esse potest.

XIX.

1. Difficile est servare bonum mihi nomen; Amori
Nam certat domino Fama ubicunque meo.
Nota etiam vobis caussa est, cur ferveat ira?
Prisca fides facta est, quod memorare velim.
5. Semper diva potens, erat intolerabilis autem
Illa sodalicio: nam cupit una loqui.
Ergo illa in dapibus divorum semper athena
Coelitibus cunctis voce odiosa fuit.
9. Sic quondam petulans jactabat, se Jovis altum
Pro servo natum prorsus habere suo.
Talia dixit ovans: „Olim tibi, crede, renatum
Adducam Alciden, o pater omnipotens!
13. Alcides neque enim, peperit quem Alcmena, resurgit:
Ipsa, me venerans, hic fit in orbe Deus.
Anne tuos credis validos, quum spectet Olympum,
Susplicere huncce pedes? Dignus in aethere homo
17. Unam me cernit; mortali non adeundum
Me pede ducturus carpit iter valido.
Rursus ego at mediis feror obvia callibus illi,
Suscepturi operas nomen ego antevolo.
21. Ipso te huic quondam nubam duce; me quoque vincat
Victor Amazonidum sit sociusque tori!
Jactantem timidi tacuere lacessere divi,
Namque irata animo saepe odiosa movet.

23. At taciturnus Amor secedit et arte decorae
Heroem dominae subjicit exigua.
Parque suum turbat, scapulis spoliisque leonis
Lydae aptat, clavam ac vix adhibere potest.
29. Alcidae inde comas arrectas floribus implet,
Datque joco victis ille colum manibus.
Mox ita disponit lepide et petulanter amantes,
Tum per coela vocat: „Facta stupenda patent!
33. Nunquam terra, polus nunquam, nunquam assiduus sol
Vidit in aeternis talia mira rotis.“
Lascivo credunt puero; fueratne locutus
Hic graviter? Properant, Fama neque ipsa manet.
37. Alciden Juno quam se abjecisse ita gaudet!
In puerum vultus conjicit illa bonos.
Quam juxta pudibunda stetit turbataque Fama!
Principio ridet: „Fabula adestne, Dii?
41. Heroem melius novi, luduntque tragoedi
Nos!“ Tamen Alcidae mox fremit esse colum.
Haud ita Vulcanus fremuit, cum sedulo amico
Uxorem maculas tunc subiisse suam,
45. Quum bene captaret positos rete ingeniosum
Et nexos laqueis necteret ille deos.
Quam gaudent juvenes, en, Bacchus Mercuriusque!
Formosam hanc divam continuisse sinu
49. Dulce quid esse putant Vulcanumque acriter orant,
Ne solvens nudam vultibus eripiat.
Muciber et curruca adeo tenet artius illos. —
Sed volucris aufugit concita Fama pede.
53. Ex quo certat Amor Famae neque rixa quiescit;
Haec legit heroes insequiturque puer.
Qui colit hanc unam, certo captatur Amori;
Hic parat austero summa pericla viro.
57. Usque irrisores premit omni mole malorum;
Adducit nymphas — stulte ubi restiteris,
Ille sagittifero saeve te concutit arcu,
Ille mares maribus jungit eosque feris.
61. Hunc qui fastidit, crudelius uritur: illi
Criminibus suavem miscet amaritiam.
Contra Fama oculis atque auribus instat Amori;
Cum quo si facies, mox inimica tibi est,

65. Te torvis oculis ac vultibus angit acerbis,
Saeva domum infamat, quam puer ingreditur.
Hac in caussa ego; jam patior paulisper, et omnes
Scrutatur latebras aemula diva meas.
69. Prisca tamen lex est: taceo venerorque; luebant
Nam pariter regum jurgia Grajugenae.

XX.

1. Si robur morumque virum vigor ingenuorum,
Hunc mage secretum paene tacere decet!
Murorum victrix, domina o Reticentia vulgi,
Quae dea per vitam me tulit incolumem,
3. Quam patior sortem! Solvit mihi Musa jocosa,
Callidus ora mihi muta resolvit Amor.
Heu, jam difficile est ignominiam abdere regum!
Non diadema tegit, nulla tiara Midae
9. In spatium tractas aures; famulus videt; illi
Protinus arcanum conscia corda premit.
Seque levaturus cupide terram effodit illo:
Non arcana tamen talia celat humus.
13. Creber arundinibus locus est, tremulaeque susurrant:
In spatium est auris tracta asinina Midae.
Est mihi nunc gravius secretum dulce tacere;
Prosperitatem animi non bene lingua silet.
17. Nulli, ne jurget, possum confidere amicae,
Non comiti: forsan noxius ipse comes.
Anne cano nemori et resonanti gaudia saxo?
Nec satis hic solus nec juvenilis ero.
21. Sic vobis, elegi, vobis committere cogor,
Quomodo amica die, quomodo nocte beat.
Multis illa viris laqueos optata relinquit,
Quos vulgo audaces, clam posuere vafri;
23. Evaditque sagax ac grata; viam bene novit,
Qua tacite et cupide fervidus haeret amans.
Luna, morare! venit! vicinum ut fallat amica,
Aura, move frondem; ne resonate, pedes!
29. Vos age crescatis, dulces, florescite, cantus,
Vos teneris recreet flatibus aura tepens!
Vos et arundinibus similes narrate Quiriti
Extremum fausti dulcia furta paris.

www.libtool.com.cn

www.libvod.com.cn

G.R.35

Goethe.

Elegiae Romanae.

Lev. 81 Nr.
Obp.

G.55

Q

DO NOT
PHOTOCOPY

BRITTLE DO NOT
PHOTOCOPY

3333534

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES



011333534